



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Facilis Et Succincta S.S. Canonum Doctrina

Pirhing, Ehrenreich

Dilingæ, 1690

§. IX. De loco, & temporibus ordinationum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61641)

Titulo verò patrimonii, ut ad hunc in casu necessitatis, vel utilitatis Ecclesiæ ordinari in Sacris quis possit, veniunt omnia bona Clerici, quæ vel ex donatione alterius, vel propria industria Clerici, vel alio civili titulo obtrita fuerunt, uti & promissio pensionis seu sustentationis congruæ, donec ordinatus conveniens beneficium consequatur; modò talis promissio cautione hypothecariâ, aut prout hodie fit, à Magnatibus aut Comunitatibus cautione instrumetaria fulciatur, & modò bona Clerici certa sint (ut iudicium inde haberi possit de congruâ Clerici talis sustentatione) ac sint immobilia (ne facilè si res mobiles tantùm sint, dilapidentur, & extinguantur) libera (nulli alii pro ære v. g. alieno obligata, juxta voluntatem creditorum suo tempore distrahenda) & frugifera, ut annuum redditum Clerico ordinato afferant. Sicuti autem beneficium, ad quod quis ordinatus est, resignari non potest, nisi quis mentionem fecerit, quod ad illius titulum ordinatus sit, & sufficiens aliundè sustentatio illius nota sit, ita nec bona patrimonialia, ad quæ quis ordinatus est, distrahere vel alienare potest aliquis, nisi prius aliunde de sufficiente & congruâ sustentatione illi provisum fuerit, ita ut sicuti illa resignatio aliter facta nulla esset, ita non sit nulla hæc alienatio aliter facta.

Et hi quidem tituli Clericorum sæcularium sunt, ad quos ordinari possunt, regulares enim Clerici, & qui voto religiosæ paupertatis obligantur, alio Titulo non indigent, cum ad hunc religiosæ paupertatis titulum ordinentur, uti & quidam alii ex privilegio Pontificio ad speciales alios titulos,

§. IX.

De loco & temporibus ordinationum.

Prima tonsura, & ordines minores possunt in ædibus Episcopi, aut alio honesto quovis loco conferri; majores verò ordines conferri debent in Ecclesia Cathedrali præsentibus Canonicis; vel si alibi, intra propriam tamen diocesis ordinantis, aut licentiam ordinandi, ordinatio concedente, conferantur, in Ecclesia digniore, quantum fieri potest, præsentem Clero. Potest tamen prima tonsura quolibet die conferri, cum de jure nullum certum tempus pro ea conferenda constitutum sit; ordines verò minores, non tantùm in ordinationibus generalibus, sed etiam quolibet dominico die, aut qui festus in foro habetur, conferri possunt, saltem uni aut alteri, prout constat *exc. 1. & 2. h. t.* & quamvis ligent aliqui, utrum etiam in ordinationibus generalibus feriâ 4. aut 6. conferri possint prima tonsura, & minores ordines, consulenda tamen in hac re est & observanda loci consuetudo, quæ circa locum & tempus ordinationum harum minorum plurimùm potest. Ad majores sive sacros ordines quod attinet, nulli Episcopo, præterquam Romano Pontifici licet eos conferre, nisi in Sabbathis 4. temporum, Sabbatho sancto, & Sabbatho ante Dominicam Passionis *Can. quod à P. P. dist. 78 junct. Gloss. V. Sabbatho, & c. ex eo h. t.* ita ut nulla in contrarium consuetudo introduci possit *c. sanè 2. h. t.* & ipsum etiam à Pontifice concessum privilegium, ut extra tempora ordinaria, in diebus Dominicis &

Festis ordinari quis possit, rigidè sit intelligendum de festis, quæ de præcepto, & in foro celebrantur, saltem in particulari aliqua Ecclesia.

§. X.

De gradatione, & interstitiis ordinationum.

Gradatim debere conferri ordines, incipiendo à prima tonsura, & deinceps temper ad proximum ascendendo, ex *c. uni. de Cleric. per saltum promoti*, patet, ubi prohibetur hæc per saltum, omisso intermedio inferiore, facta promotio, ita ut validè quidem promoveatur, qui taliter per saltum promovetur, non tamen licitè. Quin etiam certa interstitia inter inferiorem ordinem susceptum, & superiorem suscipiendum, servari debere, ex *Trident. sess. 23. cap. 19. de reform.* patet, ob majorem scilicet probationem, & meliorem dispositionem ordinandorum; quæ quidem interstitia inter minores ordines prudenti arbitrio Episcopi definienda relinquuntur, hodie tamen passim ex receptâ consuetudine non observantur, cum passim omnes 4. minores cum prima tonsura eodem die accipiant, & ex probabili etiam consuetudine, quæ reprobata non fuit, eum minoribus eodem aut sequenti mox die Subdiaconatus conferatur; inter majores tamen ordines interstitia servari debent, uti patet ex *c. literas 13.* & ex *c. dilectus 15. h. t.* ita ut nec simul duo ordines majores eodem die conferri possint, nec diebus mox succedentibus, non obstantibus quibuscunque privilegiis de jure antiquo regularibus quibusdam concessis (quæ per Trident. revocata quidem sunt, non est tamen

ablata Pontifici per hoc potestas circa hæc interstitia dispensandi) & tam Subdiaconus quàm Diaconus per annum in suscepto ordine servire debeat, utque dum promoveri possit ad ordinem superiorem, uti ex *Trident. sess. 23. habetur*, nisi ob utilitatem aut necessitatem Ecclesie cum tali fuerit à proprio Episcopo dispensatum, quibus Trident. hanc potestatem dispensandi concessit (& hinc, qui dimissorias petunt, diligenter attendere debent, ut hæc aut dispensatio, aut dispensandi licentia literis talibus inseratur, nisi velint ab ordinibus repelli, in illis saltem Ecclesiis, ubi diligens cura Trident. habetur) ut ad eò rectè non nemo dixerit; *ad eum spectare dispensandi in interstitiis potestatem, ad quem pertinet ordinandi de jure communi potestas*, & tacitè censeatur quoad hæc interstitia dispensare ordinans Episcopus, si sciat à susceptione prioris ordinis annum nondum elapsum fuisse, ordinem tamen superiorem conferat.

§. XI.

De pœnis jure Canonico statutis in malè seu illegitimè promoventes, ac promotos ad ordines.

Varia circa has pœnas statuta sunt, primò quidem, qui ante legitimam ætatem ordinat aliquem, à collatione ordinum suspendendus est per sententiam, ut in eo puniatur, in quo deliquit, *c. vel non est 14. h. t. junct. gloss. V. suspendentes*; & qui primam tonsuram confert infanti, aut homini illiterato penitus per unum continuum integrum annum à collatione Clericalis tonsuræ ipso jure suspensus est *c. final. h. t. in 6. junct. gloss. V. annum*